





PLAVSVS VOTIVVS,  
V I R O  
NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
DOMINO  
THEODORICO GVILIELMO  
PRANGIO,

NUMB. MISS.

PHILOSOPHIAE, ET DIVINARVM LITTERARVM

CVLTORI PEREXIMIO,

CVM SVMMOS IN PHILOSOPHIA  
HONORES

PRIDIE CAL. MAII A. R. S. c1818ccXXXVIII.

VITEMBERGAE,

MAXIMA CVM LAVDE, CONSEQUERETVR,

DICATVS,

A SOCIETATE QVADAM LITTERARIA,

INTERPRETE

IO. CHRISTIANO CHRISTER. GOESCHELIO,

EDERSLEB. THVR.

LIPSIAE,

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII



pollo rursus Leucoreus noua  
Docti laboris praemia diuidit;  
Hinc candidatorum inclitorum  
Adproperat numerus, Magiltri

Pofcens honores, munera strenui  
Sudoris, attentae et vigilantiae,  
Pofcens honores, litterati  
Ceu studii comites fideles.

Horum lodalem fe quoque PRANGIUS,  
O docta doctae gloria Phocidos!  
Sifit, Magiltri, pro erudita  
Sedulitate, petens galerum.

En! ipfe Apollo, Pierii chori  
Dux atque princeps, pectoris adprobat  
Nifus honeftos, atque multum  
Concitat Aonias fofores

Hac voce: Mufae, nunc agite, aurea  
Umbrate lauro tempora PRANGII,  
Eiusque mox ornate doctum  
Nobiliore caput corona.

Mox ora soluit Pieridum chorus:  
Hunc parva pennis praepetibus feret  
Doctrina, sudataeque noctes  
Illico laeta ferent brabea.

At, vos amici, quos numero nouem  
Compello laetus, vosne moramini?  
Huc, huc adeste omnes, adeste,  
Atque nouos iterate plausus!

Cessatis? at ne parcite, parcite,  
Votiuu mecum carmina promere:  
Vos ite laeti, et luculentis  
Cantibus hanc celebrate lucem.

Mentisque dotes tollite PRANGII  
Insigniores laudibus optimis,  
Industriam eius praedicare,  
Promeritamque diu coronam.

Sed, o! quis aures iam sonitus ferit?  
Consentientes conspicio omnium  
Mentes in vnum, vosque tales,  
Vos video ingeminare plausus:

PRANGI, Magistri es dignus honoribus!  
Nam militasti, non sine gloria,  
Exercuisti copiose  
Ingenium, ingenuas per artes.

TV, docta quidquid Roma nepotibus  
Dedit, vetusto tempore, posteris,  
Et quidquid Argui Magistri  
Edocuere suos alumnos:

Id omne iugi, propositi tenax,  
Labore dudum percipis altius;  
Nec artibus cessas decenter  
Palladiis animare mentem.

TV. voluis acer docta volumina;  
Plebeia temnens, adpetis ardua;  
Et sic potes ridere vulgi  
Dicta superstitiosioris.

Sed, quo canendo pergimus? haud fatis  
Laudare nos TE possumus; addimus  
Hinc vota votis nostra: Crescat  
Semper honos TVVS, et perennet!

Nos, nos precamur: Nobilis vt. TVAE  
Laudis theatrum latius explices,  
Felixque mox sublimiores  
Obrineas titulos honoris!

Nos auguramur: Candida TE lubens  
Fortuna felici excipiet sinu,  
TIBIque donabunt Camenae  
Nomina vera perennitatis!

Quid plura tandem poscimus? vt geras  
Fidele nostris pectus amoribus,  
Et nostra semper nomina alte,  
Pectore sub memori, reponas.

Sodolitis sic poterunt diu  
Durare nostrae dulcia vincula,  
Perenne sic nostrum profecto  
Foedus amicitiae manebit.



78 M 496

ULB Halle 3  
001 618 148



TA-506  
K118  
1017







PLAVSVS VOTIVVS,  
 VIRO  
 NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
 DOMINO  
 THEODORICO GVILIELMO  
 BRANCIO,



PHILOS  
 CVM  
 PRI  
 MAXI  
 A SOC  
 IO. CHI  
 LIT

LITTERARVM  
 OSOPHIA  
 ccXXXVIII  
 QVERETVR,  
 TTERARIA,  
 GOESCHELIO,  
 GENHEMII

**B.I.G.**  
 Black  
 3/Color  
 White  
 Magenta  
 Red  
 Yellow  
 Green  
 Cyan  
 Blue

**Farbkarte #13**

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
 Centimetres

1 2 3 4 5  
 Inches

